



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.  
XII**

**Caesarius <Heisterbacensis>**

**Antverpiae, 1605**

De tribus granis, quibus Abbas Gisilbertus se condire dicebat pulmenta  
monachorum, cap. 78

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

vescimur, & ardenter sumimus, quia magnum Dei donum est, quando viris delicatis, postquam conuersi fuerint ad Christum, incondita pulmentaria leguminum vertuntur in conuiuum. Audi de hoc verbum satis iocundum.

## C A P V T LXXVIII.

**E**O tempore, quo milites illi honesti, & in seculo *Religiosis* nominati, videlicet Ulricus cognomento Flasse, *quid ci-* & Gerardus cognomento Waschart, Carolus & *bos viles.* Marcinannus Coloniensis, alijque tam ex clericis, *sapidos* quam ex laicis viri diuites in Hemmenrode conuersti. *efficiat.* fuissent, & in ordine confortati; quidam ex secularibus, & dictorum militum notus & amicus, ait beatæ memoriae domino Gisilberto eorum Abbat: Nō sufficio mirari, quod tales viri, in seculo tam delicati, oleribus inconditis, pisa & lente possunt vti. Cui ille respondit: Ego tria grana piperis appono, quibus eadem grossa pulmēta condiuntur, ut penè nihil in suis scutellis comedentes relinquant. Mirante illo, & non intelligente quod audierat, Abbas subiunxit, dicens: Ego tibi exponam; primum granum piperis, sunt longæ vigiliae matutinarum; secundum, labor manuum; tertium granum est desperatio ferculi lautioris. Ecce ista sunt tria grana, quibus appositis, optimi saporis sunt pulmenta nostra. Et puto vehemēter, quod monachus magis peccet pisam suam, siue lenticulam propter torsiones vel humores melancolicos vitando, quam nimis ex illis sumendo. Si apposita sumere noluerit, necesse est ut lautiora vel appetat vel requirat. Si ea data fuerint, ex consuetudine pusillanimes scandalizat: si negata, ante tempus deficiet. Monachus vacuo ventre non potest bene ieunare, vigilare, labore. Hinc est quod sanctus Bernardus tales, in quodam sermone satis acriter reprehēdit. Cibaria nostra *Bern. ser.* nō sunt multū cōfortatiua, & ideo oportet nos ex eis sumere usque ad satietatem. APOLLONIVS: Quid sentiendum est de illis, qui per occasionem frequenter in seculo sunt, & penè quotidie cibis delicatis vescuntur? Erunt ne æquales fratribus suis in merito, qui cibis regu-

regularibus tormentantur. CAESARIUS: Non est meum  
illos iudicare, unusquisque secundum suum laborem  
recipiet: dicam tibi tamen de hoc cuiusdam laicis sen-  
tentiam satis delectabilem, contra quendam Cardi-  
nalem ioculariter prolatam.

## CAPUT LXXIX.

**S**anctæ recordationis dominus Henricus Alba-  
nensis Episcopus & Cardinalis, anno 1188. missus  
a Clemente Papa temporibus Frederici Imper-  
atoris, prædicare crucem in Alemania contra Sar-  
cenos, quosdam sibi terræ nostræ monachos ordinis  
Cisterciensis assumpsit. Die quadam, cùm simili equi-  
tarent, & ipse diceret in generali: *Quis vestrum dicit  
nobis aliquid boni?* Respondit unus: *Ille, demonstrato  
quodam Conuerso monacho laico, cuius nomen ex-  
cudit, & præceptum est ei statim à Cardinale, ut ver-  
bum proponeret exhortationis.* Ille primùm se excu-  
fans, dicens laicum non debere literatis aliquid lo-  
qui, tandem sic exorsus est: *Quando mortui fueri-  
mus, & deducti ad paradisum, occurret nobis sanctus  
pater noster Benedictus; vobis nobis monachis cucul-  
latis, cum gaudio introducit: viso vero Henrico Epi-  
scopo & Cardinali, mirabitur insulatum eum, & di-  
cet: Quis enim es tu?* Et ille: *Pater ego sum monachus  
Cisterciensis; respondebit sanctus: Nequaquam, mo-  
nachus non est corniculatus.* Tunc Henrico satis pro-  
se allegante, tandem huiusmodi data sententia, dicit  
ostiariis sanctus Benedictus: *Ponite eum supinum, &  
stomachum eius scindentes aperite: si inuenieritis ole-  
ra incondita, fabam, pisa, lentem, pultes, cibosque re-  
gulares, cum monachis intromittatur: Sin autem, sci-  
licet pisces grossos, & cibos seculares atque delicatos,  
foris maneat.* Deinde conuersus ad Cardinalem subje-  
cit: *Quid illa hora dicturus es pauper Henrice?* Ad q  
verbum Cardinalis subridens, sermonem commendau-  
it. Ego eundem venerabilem Episcopum & monachum in  
ecclesia sancti Petri Coloniae adhuc puer audiui cru-  
cem prædicantem, & plurimos ibidem vidi signantem,  
eratque iustus & sanctus, manus suas ab omni munere  
excus-